



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Contractus in specie secundum rubricarum ordinem
exponens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

Parerga Ex Universo Jure.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63816)

P A R E R G A
E X U N I V E R S O J U R E.
E X J U R E C A N O N I C O.

1. **P**eregrini non tenentur legibus loci, per quem transeunt. 2. Lex Canonica, ut obliget, in provinciis promulgari non debet. 3. Bene verò lex civilis. 4. Consuetudo non potest introduci per actus formaliter peccaminosos. 5. Nec per actus erroneos. 6. Aut metu extortos. 7. Postulatio, si non concurrat cum electione, majoritate votorum contenta est. 8. Populus in electione Episcoporum nunquam habuit votum decisivum. 9. Legatus missus cum potestate Legati à latere non potest ea omnia, quæ ipse legatus à latere. 10. Judex potest condemnare reum, quem privata scientia scit innocentem. 11. Clericus venditor tenetur emptorem Laicum evictionis nomine in foro Laico defendere. 12. Coelibatus non est de jure Divino SS. Ordinibus annexus. 13. Nec lege positiva primitus ab Apostolis lata. 14. Consuetudo, quod in plerisque Germaniæ Ecclesiis meri nobiles ad Canonicatus assumantur, reprobanda non videtur. 15. Ad actus Capitulares, exceptis duntaxat tribus casibus, absentes vocandi non sunt. 16. Potest Prælatus bona Ecclesiæ sine consensu Capituli generaliter oppignorare. 17. Non tamen ei fas est, legatum Ecclesiæ relictum repudiare. 18. Nec Judæi, nec hæretici sunt capaces juris Patronatus. 19. Sponsalia cum secunda contracta, accedente quoque copula, non reconvalescunt. 20. Nec solvuntur per solum ingressum in Religionem. 21. Matrimonium non valet inter fideles in sola ratione contractus ininitum. 22. Nec matrimonium hæreticorum in locis, ubi Concilium Tridentinum est promulgatum, sine Parrocho Catholico contractum. 23. Sponsalia vel matrimonium palam contractum, ob latens tamen impedimentum nullum, non producit impedimen-
tum

tum publicæ honestatis. 24. *Conditiones impossibiles adjectæ contractui matrimoniali eundem non vitiant.* 25. *Benè verò sponsalia.*

EX JURE PUBLICO ROMANO-GERMANICO.

26. *Imperator Romanorum debet esse Germanus.* 27. *Catholicus.*
28. *Ejus Majestati non derogant Capitulationes.* 29. *Quibus pro casu extremæ necessitatis, vel evidentis utilitatis contravenire potest.*
30. *Jus circa sacra Majestati Cæsareæ non coheret.* 31. *Multo minus superioritati territoriali, ut protestantes volunt.* 31. *Adheret tamen eidem ex instrumento Pacis Westphalicæ jus reformandi Religionem.* 32. *Capitulum sede vacante non habet suffragium in electione Cæsarea.* 33. *Sicut nec Capitulum Moguntinum Sede Archi-Episcopali vacante ad Electionem Cæsaream Electores convocare potest.* 34. *Auream Bullam Imperator sua unius autoritate abrogare nequit.* 35. *Si in electione Cæsarea munera aut promissa, aut acceptata fuerint, electio est ipso jure nulla.*

EX JURE CIVILI, ET CRIMINALI.

36. *Patri in gravi necessitate liberos non modo sanguinolentos, sed adultos quoque vendere licet.* 37. *Id tamen matri licere negamus.*
38. *Tutor ob culpam latam fit infamis.* 39. *Testamentum solennitatibus destitutum pro utroque foro nullum est.* 40. *De Jure Civili testari prohibitus potest testari ad causas pias.* 41. *Falcidia non detrahitur à legatis piis.* 42. *Legatum relictum puellæ sub conditione, si nubat, etiam, dum Monasterium ingreditur, eidem debetur.* 43. *Filiusfamilias Scto Macedoniano pro utroque foro uti potest.* 44. *Cui tamen beneficio nec juratò renunciare potest.* 45. *Scientia juris alieni in debitis indefinitè contractis non impedit præscriptionem.* 46. *Exceptio non numeratæ pecuniæ adhuc post biennium opponi potest.* 47. *Transactio ob lesionem enormem rescindi potest.* 48. *Sicut causa juramento decisa per instrumenta noviter reperta.* 49. *Juramentum ex sua natura non habet, ut actus de jure invalidos revalidet.* 50. *Habet tamen hoc ex beneficio legis respectu quorundam actuum.* 51. *Ex Lege Aquilia agi non potest ob culpam levissimam, quando illa in contractu præstanda non est.* 52. *Præ-*
sunt.

sumptio violenta in causis criminalibus sufficit ad ferendam sententiam. 53. Confessio metu tormentorum elicitæ est nulla. 54. Sicut facta in tortura non præcedentibus legitimis indiciis. 55. Bannitus potest impunè occidi, 56. Non tamen extra territorium Principis proscribentis. 57. In criminibus atrocissimis affectus potest puniri pœna ordinaria, effectu etiam non secuto. 58. Plures in unius necem conspirantes, & concurrentes tenentur singuli de occiso.

F I N I S.

